

XXIII. MARTII.

**R**omæ natus OTHO Palladi primam ætatem devovit. A Pallade deinde ad Martem transijt, utroque propitio. Nam & literis excultus & armis præstans Lothario Imp. cùm hic Innocentio III. Pont. contra Pseudopontificem auxilium ferret, ita volente, veteri Majorum gloria Equitis etiam titulos adjecit. Nimirum nulla adæquè calcaria Virtutem extimulant, uti aurea. Quòd tamen Deus sub suis signis militare vellet OTHONEM, ostendit, quæ Mundus suis stipendia numeraret. Proin dum pro Alexandro III. Pont. contra Frid. Imp. armigerit, speratque palmas & triumphos, captivus carcerem ab hoc aufert & vincula. Adest tamen D. Bernardus precibus vocatus, & dormientem ex hostium manibus non vano somnio educit. Squalor carceris & fames longa alium vultum OTHONI induerant, ut facile omnes falleret. Liber ergo arma in se vertit, sibi bellum indixit. Locus castris metandis placuit Beneventum inter & Aseculum. Sed & propugnaculum ingens extruxit cellam humilem: Tela preces erant. Vulnera ab hostili manu nulla, honestissima à sua manu tulit. Ita sese subjugato, Arinnensium quoque superstitionem aggressus expugnare, effecit, ut qui ad id tempus Iani bifrontis imaginem, quæ publicis quæ privatis ædificijs præfigebant, Christiani Christum potius præferrent; quàm Deos ridiculos. Iisdem imminentem ob scelera non modò ab Agarenis sed Christianis etiam vastitatem & ruinam prædixit; cui tamen ipse morte subduxit sese.

*Ex Ferrar.*